

107  
DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

DE  
MEDICAMENTIS  
DIVRETTICIS  
SPECIFICIS

QVAM  
DIVINO FAVENTE NVMINE  
CONSENTIENTE ILLVSTRI FACVLTATE MEDICA  
IN ALMA ET PERANTIQVA HIERANA,  
SVB VMBONE

DN. D. JOH. HIER. KNIPHOFII

ANAT. CHIR. ET BOTAN. PROFESS. PVBL. FAC. MED. ASSESS. ORDIN,  
ACAD. CAESAR. NAT. CVRIOS. ADIVNCTI ET BIBLIOTHECARIJ,

PRO LICENTIA

QVIBVSQVE IN ARTE MEDICA LICENTIATI  
POLLENT HONORIBVS PRIVILEGIIS  
PRAEROGATIVIS

MORE MAJORVM CAPESSENDIS  
PVBLICAE ASCLEPIADEORVM CRISI SVBMITTIT

A V C T O R

ANDREAS ADAMVS SIEGFRIED

ERFORDIENSIS.

H. L. Q. C. A. S. R. MDCCLI. DIE XV. OCTOBR.

ERFORDIAE,

Typis JO. CHRISTOPH. HERINGII, ACAD. TYPOGR.

Pharmacol.  
gen.  
58, 6.

*Handwritten signature*

*b. Diuresis  
Nat. med. 104*

PHYSICAE  
METHODES  
DIVINAE  
SPECIFICAE

PHYSICAE  
METHODES  
DIVINAE  
SPECIFICAE

PHYSICAE  
METHODES  
DIVINAE  
SPECIFICAE

PHYSICAE  
METHODES  
DIVINAE  
SPECIFICAE

PHYSICAE  
METHODES  
DIVINAE  
SPECIFICAE

colours

Handwritten scribbles



## PROLOGVS.



Quodsi unquam quid medicum a vulgo, empiricisque distinguit, est certe, ni omnia me fallunt, cognitio modi agendi medicamentorum. Hæc vero ex relatione ac habitu eorum ad partem læsam mutandam desumitur. Quare medico id datum esse negotii discimus, ut primum pharmacorum indolem, naturam, facultates; deinde morbum, quæque eum produxit, causam, concomitantiaque symptomata; deinde mutuam convenientiam medicinæ ad statum p. n. corporis humani vivi exploratam habeat, probeque perspectam. In his namque momentis breviter expensis totius praxeos versatur cardo. Neque autem ex sphæ-

A 2

ra

4  
ra activitatis suæ agunt medicamenta, sed, ut  
veteres loqui amabant, ex receptivitate. A su-  
perstitibus enim corporis ægroti viribus limi-  
tantur medicamentorum effectus, quæ si haud  
ita longe a fine suo, qui est sanitas, dissentiunt,  
minor spes adfulget ægrotis citæ reconvale-  
scentiæ, quam si dissensus ille plures ac nobiliores  
actiones corporis lædit. Quum vero, autopfia  
docente, & fluida & solida corporis h. v. di-  
versam habeant massam, ac gravitatem specifi-  
cam, ejusmodi medicamenta ægrotis propi-  
nanda esse intelligis, quæ ad læsæ ac patientis  
partis gravitatem specificam proxime adcedunt.  
Aliam enim gravitatem specificam habet chy-  
mus, aliam chylus, aliam sanguis, mucus, lac,  
femen, urina, bilis, cerumen aurium. Eadem  
diversitas cernitur in partibus solidis organi-  
cis, visceribusque corporis. Neque enim vasa  
bilifera, aut pori biliarii eandem densitatem na-  
cti sunt, qua renes gaudent. Renum vero ha-  
bitus toto cœlo differt a densitate testiculorum.  
Ex hoc fundamento omnes secretiones, in sin-  
gulis emunctoriis diversæ, explicari debent.  
Omnia vero medicamenta ad M. S. delata le-  
ges

ges sequi adhæſionis notum est, constatque inter omnes. Adhæſio vero, quam modo penetratio, miscela, nunc resolutio, mox solutio ipsa sequitur, corpora sese immediate contingentia requirit, ejusdem fere insuper gravitatis specificæ. Id circo ad determinanda specifica remedia partium, & exactam viscerum densitatis & remediorum habitus ad eam tibi compares notitiam, necesse est. Quare magno-pere dolendum est, hanc doctrinæ physiologicæ partem, quæ in diversitatem densitatis viscerum inquit, tam imperfectam esse, nec satis, ut decet, excultam. Quo fit, ut doctrina medicamentorum, quæ & therapix & semioticæ fundamenta sternit, a primo fere, quod mirum dictu, rerum medicarum initio cimæriis tenebris immersa jaceat. Quum vero convenientia, ac similitudo medicamentorum cum parte corporis humani vivi mutanda, a posteriori sumi debeat, atque repeti, ex hac vero virtus eorum specifica determinetur, facile emergit, ad effectus medicamentorum sedulo esse attendendum, nec quicquam prætermittendum, quod ad indolem eorum perscrutandum

0 49 ( 0 ) 52  
dum pertinere videtur. Neque enim ex habitu externo, & signatura rerum, aut qualitatibus sensibilibus e. g. colore, odore, sapore, figura &c. ex æquo dijudicari possunt facultates medicamentorum. Res redit ad particularum magnitudinem, partium constituentium indolem, massam, gravitatem specificam, figuram, proportionem, & quod cardo rei est, mutuas relationes ad partes corporis humani vivi. Nul- lum fere, si verum fateri volumus, existit corpus, cui nomen medicamenti absoluta qua- dam significatione inferri possit, atque imponi. Omnia enim medicamenta hypothetice talia esse, existimo. Prout enim conditiones, vires- que corporis, atque causæ morborum diffe- runt: ita unius ejusdemque medicamenti ef- fectus varius potest esse, modo salutem, si tempestive causæ morbi opponitur, nunc no- xam, si motus naturæ operationi medicamenti resistunt, adferens. Motus sequere naturæ, no- li resistere illis, nisi exorbitent, juva eos, si opus. Et crede mihi, magnus eris Aesculapius? Quapropter operationes ac effecta medica- mentorum determinaturo & motus na- turæ,

turæ, & modificationes individui ægroti diligenter, studioseque expiscandi sunt. Ab hac vero naturæ arcana percontandi opera neque aeris, neque diætæ, neque vitæ generis, nec idiosyncrasia, morborumque prægressorum indagatio & inquisitio sejungenda est. Quantum enim illæ res ad medicamentorum vires limitandas valeant sexcentis exemplis quotidiana loquitur experientia. Ergo nec hæc momenta illi negligenda esse cernis, cui certitudo in praxi medica ex omnium circumstantiarum studiosa comparatione obtinenda curæ, cordique est. Ego de disputatione inaugurali conscribenda cogitans *medicamenta diuretica specifica* animo volvere cœpi; de quibus quum, quantum resciscere mihi licuit, typis excusum exstet monumentum nullum, imprimis agendum esse putavi. Quæ hæctenus præfaminis loco protuli, ea & sibi vindicant medicamina specifica diuretica. Horum enim natura, vis, indoles, atque operatio ex convenientia ac identitate cum lotio &, in quibus fecernitur, renibus dijudicanda est. Hæc vero consensio ac analogia partium inter se, massæ, gravitatis speci-

speci-

specificæ densitatis, raritatisque competentia absol-  
vitur. Primum itaque de medicamentis  
diureticis in genere a §. 1. ad §. 9. præcepi.  
Deinde determinatione adjuncta de specificis  
lotii a §. 10. ad §. 23. tunc a §. 24. ad  
§. 32. de specificis renum dixi, a §. 33. us-  
que ad finem effectus diureticorum disserui  
scholiis, exemplis, testimoniis ubique inter-  
persis illustribus. En totius argumenti con-  
spectum. Cui utrum elaboratio respondeat,  
ipse judicet benevolus Lector, qui si æquum  
nostro de labore tulerit judicium, maximum  
amplissimumque fructum nos consecutos  
esse putamus. Vale, nostræque, si displicent  
lucubrationes, fave voluntati.

DISSER-



## DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA.

DE

MEDICAMENTIS  
DIVRETICIS  
SPECIFICIS.

§. I.

Quodsi admirandam renum structuram colore, *Quid sit se-*  
 densitate aut gravitate specifica situ, figura ac *cretio uri-*  
 connexione conspicuam paulo penitius perscrutamus, eorum usum, multis nominibus præstantem in *na.*  
 saluberrima illa urinæ excretionem consistere reperimus.  
 Quæ quamdiu rite succedit, haud vacillante perspiratione sanctoriana, homo de prompto expeditoque actionum exercitio querelas haud facile aget; alterutra vero labefactata, gravissimæ corpori imminent ægritudines, œconomiam animalemi mirum in modum perturbantes. Quodsi vero renes, amplissimum illud depuratorium, adpellamus, nihil aliud esse nos docet autopsia anatomica, quam viscera illa rubicunda, phaeoli ut plurimum figuram repræsentantia, in regione lumbari collocata, costis inferioribus, intestino colorenibus succenturiatis & uretheribus adjuncta, ex conglomeratione arteriarum, venarum, vasorum lymphaticorum, & nervorum contexta, duplicis admodum diversæ substantiæ, quarum exterior corticalis, interior tubulosa, in decem plerumque papillas apertas, quæ dum pressionem externam patiuntur, urinam guttatim

B

tatim

tatim exstillant, defluens. In contemplatione horum constitutorum & ad gravitatem specificam, & ad vaporum advehentium, quæ ab emulgentibus nomen habent, illi respiciendum est, qui secretionis urinæ negotium accurate justeque determinare adnititur. Arteriarum emulgentium amplitudo nobis præbet suspicionem secretionis cujusdam. Plus enim per illa vasa advehitur, quam ad nutritionem, & conservationem hujus visceris requiritur. Sanguis ad renes defertur. Ille vero est humor ad sensum homogeneus ex variis partibus fermentabilibus mixtus. Jam secretio, ut pluribus nos docent principia anthropologiæ humanæ, separatione fluidi homogenei ex fluido heterogeneo in viscere quodam corporis animalis vivi absolvitur. Quæ quidem cum ita sint, nemini dubium potest esse, quin se- & excretio urinæ in renibus expediat. Illud enim fluidum plus minusque coloratum in renibus secretum, ex mixto terreo, saponacea parte in aqua soluta constans, dicitur urina. Secretionem urinæ, cui renes assignati sunt, græco vocabulo *diuresin* adpellare solent physiologi.

## §. II.

*Lusus naturæ circa renes.*

Quodsi unquam jucundus naturæ lusus in partibus machinæ nostræ vitalis observatur: certe circa compagem, constitutionemque renum occurrit. Nonnunquam enim unus tantum reperitur; modo solito majores, modo minores existunt renes. Nunc vasa renalia & cursu, & numero differunt. Quare is magnopere hallucinari videretur, qui in descriptione renum

renum §. I. allata exhibitas notas immutabiles, perpetuas ac constantes esse putaret. Quodsi, ut plures adhuc adjiciamus notas, observationes HALLERI, GARENGEOTI, WINSLOWI & studio, & opera & fide commendatissimas servare volumus, renes collocamus in postica parte abdominis extra saccum peritonæi inter ultimam costam spuriam & os Ilei; ren dexter a sinistro hepatis lobo tegitur, hinc situ depressior sinistro, quem splenis lymphaticum viscus cooperit. Quare, comprobante experientia, ren sinister altioris utpote situs & majori motui expositus non tam generi calculi patet, quam quidem ren dexter. In utroque rene superficies, concavitas, convexitas, curvaturæ, eaque & major, & minor considerandæ veniunt. vid. BOERHAV. *Pralect. Acad. T. III. p. 196.* Renes autem inter undecimam & duodecimam vertebram dorsi siti, actu vigente inspiratione descendunt, expiratione vero ascendunt iterum. Id quod Zootomia ad oculum demonstrat. In vivis enim dissectis animalibus, in- & expiratione durante, hoc phænomenon oculis subjicitur clarissime. Ex quo disci poterit, quid sit, quod generis calculi in rene dextro potissimum præpediatur. Musculus enim Psoas, cui renes incumbunt, dum corpus motitando exercetur, actionem, motum, ac energiam renum conservat. Quare qui vitæ genus actuosum sectantur, calculorum cruciatibus minus obnoxii esse reperiuntur, quam qui otio, sedendoque vitam transigunt. *Calculi causa occasio.* Inter membranas, quibus emunctorium nostrum obductum conspicitur primas partes tenet tunica cellulosa externa, quam & fasciam adiposam adpellitant. Il-

renum  
membrana.

la vero membrana externa multis cellulis pertusa copioso adipe semi-putrido obsita est; quo quidem ad acrimoniam urinæ temperandam nihil accommodatius, nihil opportunius natura potuisset dare. Dum vero hæc pinguedinosa substantia compactiorem, durioraque præ se fert indolem, ac consistentiam, teneram, tubulosamque renum compagem comprimendo ad genesis calculi multum conferre videtur. vid.

vasa

BOERHAVII prælect. l. c. p. 203. Ad vasa autem renalia aut emulgentia quod attinet, situm eorum maxime variantem observamus; arteria unius digiti plerumque adæquat crassitiem; triplo fere minores existunt venæ. Triplex fere in renibus discerni poterit substantia, quarum extrema crassior crenata est, altera medullosa striata, tertia medullaris ex papillis calici inhaerentibus & in pelvim expansis conflata.

substantia

§. III.

Densitas renum.

Sicut omnia viscera in cavitatibus delitescunt peculiari, sibi que propria densitate, ac gravitate specifica a se invicem differunt: ita & renibus singularis quidam habitus, nec cuiquam visceri familiaris substantia a natura adsignata est. Eandem diversitatem gravitatis specificæ in humoribus corporis nostri illustribus documentis evictam esse, nemini ignotum erit, nisi qui Physiologiæ omni destitutus est peritia. Ergo dubitari nequit, corpora dari, quæ ob peculiarem convenientiam, & massæ communionem præ reliquis partibus & renes, & fluidum renale, quod & lotii nomine venit adficiant, tangant, alterent, immutent.

§. IV.

## §. IV.

Medicamenta, quæ propria sua vi diuresin five se. & excretionem urinæ promovent, diuretica adpellantur. Quæ, si ex ejusdem fere habitus ratione cum renibus §. 2. operationem suam edunt, specifica audiunt. Illa vero vel in vasa renalia, ex quorum glomere mirifica structura compacti sunt renes, vel in ipsum fluidum excrementitium agunt. Quapropter medicamenta specifica diuretica in *specificis renum, & urinæ* dividere licet.

*Diuretica  
quid sint &  
quomodo di-  
vidantur.*

## §. V.

Medicamenta diuretica §. 4. aut impedimenta removent, quæ diuresin retardant, imminuunt, tollunt, aut naturalem excretionem augent.

*Quotuplici  
modo Medi-  
camenta di-  
uretica a-  
gunt.*

## §. VI.

Quot itaque obstacula oriri possunt, ex quibus hujus secretionis utilissimæ concipi potest imminutio, tot medicamenta labefactatæ huic secretioni opponi queunt. In febribus malignis ratio imminutæ secretionis urinæ claræ ac pellucidæ in minori vi vitali vasorum renalium ac tubulorum Bellini urinariorum hæret. Febres inflammatoriæ internæ ob spasticam fibrarum constrictionem symptomate vacillantis diureseos stipatæ sunt. Modo obstructio in renibus ac spasmorum vehementia in vicinis partibus obstant, quo minus hæc secretio officio suo faciat satis. Quæ itaque has causas, imminutam ac retardatam diuresin efficientes removent ac tollunt, diureticis medicamentis adnumeranda esse patet. Quare demulcentia,

*Illustratio.*

B 3

gelati-

gelatinosa, mucilaginosa, decoctum avenaceum, hordei, cornucervi &c. exoptatam opem in febribus inflammatoriis adferunt. Si tonus prostratus est, minusque vegeta vasorum renalium contractio, ut in febribus malignis, leniter stimulantia, terram foliatam tartari salia metallica subtiliora ut sal auri mercurii & vitrioli quibus quid in omnibus excretionibus suppressis resuscitandis efficacius præstantius celsiusque fingi aut excogitari possit, dici sane nequit, adhibere convenit.

## §. VII.

*Naturalis  
secretio urinae  
quomodo  
promoveatur.*

Quæ vero naturalem secretionem lotii augent §. 5. medicamenta, aut quantitatem materiae urinæ accumulando, aut humores ad renes dirigendo agunt.

## §. VIII.

*Ulterior in-  
quisitio.*

Quantitas vero materiae urinæ partim per adsumpta aquosa, partim per augmentationem circulationis sanguinis, cui resolutio humorum æqualis est, augeri potest. Ergo adsumpta aquosa, quæque motum sanguinis accelerant, vegetioremque reddunt, diureticorum ingrediuntur classem. Quoniam vero transpiratio illa sanctoriana in tota corporis perspirabilis superficie contingens inversam habet relationem cum transpiratione partium internarum, ita, ut quo major transpiratio in exteriori corporis cortice contingit, eo minor interna evadat, oppido patet, infusa aquea calida, decocta lignorum, species theiformes, vinum &c. tum demum diureticam exerere efficaciam, si regimen diapnoicum neglectum humores ad interiora

emur.

emunctoria ad renes depellat, a peripheria ad centrum motu directo sanguinis. Quodsi enim econtrario hæc liquida adsumuntur, poros cutis æstu aeris apertente, humoribusque ad exteriorem cutis habitum vergentibus, omnia diuretica vim diapnoicam indipiſcuntur, ſicut diapnoica regimine neglecto in diureticorum degenerant naturam.

## §. IX.

Quodsi vero illa medicamenta nobis repræſentamus, quæ humores ad renes determinando operantur *Quænam Medicamenta diuretica humores ad renes determinando operentur.*  
 §. 7. id imprimis ſtimulantia diſſolventia vim vaſorum ad majorem contractionem ſuſcitando præſtant. Hujuſ cenſus erunt tincturæ alcalinæ, ſpiritus nitri, tartari, ſalis dulcis, ſales omnes præprimis fixi acidi & alcalini, eſſentia ſuccini, ſpiritus lumbricorum terreſtrium & quæ ſunt his ſimilia.

## §. X.

Medicamentorum diureticorum ſpecificorum *Transitio ad*  
 §. 4. operationi ſi conſiderationem noſtram adjungi-*Medicamenta diuretica ſpecifica.*  
 mus, ea immediate renes adficere debere conſtat, nullam inſignem aut notabilem mutationem in aliis partibus producendo. Viſceralia, inteſtina ſtimulantia mediate effectum diureticum producere poſſunt. Renes namque reliqua viſcera imi ventris ſenſibilitate longe anteeunt. Vaſorum enim extremitates, per quas ſecretio peragitur, patulas, aut apertas eſſe novimus. Quare minor vis medicamenti ſtimulantis requiritur ad actionem renum augendam, quam ad ventriculi, ac inteſtinorum motum periltalticum. Jam actio & effectus

fectus Medicamenti æqualis habetur tensioni ac sensibilitati partis. Ergo viscera abdominalia stimulantia majori gradu vim contractilem vasorum renalium augebunt, quam ventriculi, ac reliquorum viscerum, licet medicamentum agens immediate in intestinorum villosam tunicam vim suam exerat.

## §. XI.

*Medicamenta diuretica specifica Lotii.* Medicamenta specifica diuretica lotii sive urinæ §. 4. sunt illa medicamenta, quæ inprimis ob massæ ac gravitatis specificæ convenientiam sero adhærent, idemque, miscela facta, mutant ac alterant, cum aliis humoribus connubio repudiato.

## §. XII.

*Confectarium.* Medicamenta ergo hujus generis §. II. ad gravitatem specificam urinæ proxime adcedere debent. Quare majorem massam habere debent, quam quæ humores subtiliores serum scilicet nutritium &c. alterant. Quum vero illa medicamenta immediatum contactum cum urina requirant, lege circulationis humorum per vasa advehentia ad interiorem renum substantiam admittuntur. Hinc satis subtilia esse debent. Medicamenta vero illa, dum cum urina connubium ineunt, ejus indolem immutant, aliamque illi conciliant qualitatem, quæ pro varia admixtæ substantiæ virtute atque natura varia esse potest. Quare per admixtionem specificorum diureticorum hujus classis §. II. & color & odor, & virtus urinæ mutabilis esse videtur.

## §. XIII.



## §. XIII.

Ad colorem urinæ §. 12. si attendis, crocum, rha-<sup>Observatio.</sup>  
 barbarum, cassiam, terebinthinam, opuntiae majoris  
 succum, juniperum, nucem moschatam, rubiam tin-  
 ctorum, cibos, ac liquida varii generis urinæ colorem  
 immutare, res est, ex experientiae suffragio compro-  
 bata.

## §. XIV.

Nec mihi defunt documenta, atque testimonia,<sup>Testimoni-  
um I.</sup>  
 quibus hunc effectum §. 13. extra omnem dubitationis  
 ponere possim aleam. *Job. Frid. RVBELIVS Path. & The-  
 rap. p. 4. de M. M. §. 38. p. 18.* Experientia quoque, in-  
 quit, testatur, dari quaedam medicamenta I. quorum actio ma-  
 xime in renibus atque vesica percipitur, ut cantharides, qui  
 ardorem in renibus, & dolorem in cervice vesicae excitant, at-  
 que millepedes.

II. Quae serosas sejungunt, iisque ita adherent, ut et-  
 iam urina sensibiliter per ea mutetur. Sic crocus & rha-  
 barbarum dant flammeum urinæ colorem. Cassia in parva  
 dosi sumta dat viridem, in majori fuscum; in denuo majori  
 atrum. Asparagus dat urinæ foetorem, terebinthina vero  
 violaceam urinæ gignit odorem. Hinc etiam dicta medica-  
 menta dicuntur diuretica specifica.

## §. XV.

Huic auctori §. 14. subjungenda est Epitome to-<sup>2dum.</sup>  
 tius Medicinæ, cui addita est in calce Theodori ZWIN-  
 GERI Disp. Med. de acquirenda vitæ longevitate. Lugduni  
 1705. Part. II. Pathologiae p. 81. §. LXXV. Ibi Martialia,  
 ita enim legimus, vite operantia semper excreta nigricantia  
 reddunt.

C

reddunt.

reddunt: rhabarbarum & aloë tingunt eadem intensa flavedine. Unde etiam bilem evacuare vulgo aestimatur. Colocynthis crassa & viscida excernere facit, quæ non solum sunt pituita p. n. sed re vera succus nutritius a malignitate laxantis simul corruptus. Opuntia majoris succus urinam rubro colore tingit, cui terebinthina, Juniperus, nux moschata &c. odorem violaceum tribuit. Fætores contra impertiant allium, asparagus &c.

## §. XVI.

Nec silentio prætereundum est, JOH. RHENANI H. Ssi Medici Urocriterium chymiatricum Francofurti MDCXIV. p. 14. §. XXXVII. Præter hæc, ita sonant verba, caveat Medicus, ne decipiatur ab his, quæ urinæ liquorem, & contenta immutare solent: sæpe enim causis naturalibus, & præter naturam alteratus urina, quæ nihil letale nec sinistri præ se fert. Inter causas non naturales, agnosco cibum & potum, ut quando ab usu pulliculæ filiginæ aut lactis sæpius alba urinæ funduntur, vel ab usu pulliculæ lepovine nigræ: rhabarbarum, crocus, rubia tinctorum suo colore inficiunt urinam, asparagus, terebinthina alieno perfundunt odore, liberalior aquæ potus, tenuem crudam profundit urinam. Huius adsentitur Joh. Baptista van HELLMONT. Ori. Medic. p. m. 128. Vident quidem, inquit, sæpe in urinæ lactentis pueri subsistere odores rerum, quas nutrix sumsit puto oleum anisi, macis &c. quod nutrix adsumsit redolet in urinæ pueri sugentis, adeoque ad illum finem nutritici propinantur.

## §. XVII.

Odor urinæ  
mutatus.

Odorem vero urinæ §. 12. per adsumpta medicamenta æque ac alimenta sæpius mutari jam jam prolata

lata ostendunt testimonia. Humores enim corporis nostri assumptorum naturam assumunt, eorumque altius sibi sæpe immersa servant vestigia. Per bene igitur *Frid. HOFFMANNVS M. D. clavis Pharmaceuticæ Schröderianæ cap. XXXVI. de antecedentibus §. XLV.* quamvis assumpta omnimode transmutatione formam sanguinis vel chyli assumant & acquirant, hi tamen conservant non obscura accidentia priorum ciborum. Sic animalia, quæ vescuntur piscibus, ut anates, anseres, gallinæ redolent pisces, & non solum caro eorum, sed & ova gallinarum, hæc in intestinis pastarum ea redolent: Lac vaccinum redolet porrum, quo vaccæ tempore vernali sunt pastæ. Capones carnibus viperinis nutriti, non solum contra sterilitatem sed & sanguinem purificant.

## §. XVIII.

Quemadmodum tum color §. 12. §. 13. tum <sup>Urine mu-</sup> odor §. 12. §. 17. urinæ per hanc diureticorum remedio- <sup>tata. indoles</sup> rum classem §. 11. §. 4. mutatur: ita quoque indoles ac virtus ejusdem §. 12. mirum in modum alteratur, ac aliter determinatur. Partes urinæ admixtæ quum maximopere differant, urinæ mutata indoles non ex harum solum absolute spectata differentia, sed in primis etiam ex harum habitu ac relatione ad urinæ constitutionem dijudicanda est.

## §. XIX.

Illæ vero substantiæ, quæ specificè in urinam <sup>Continua-</sup> agendo crasin ejusdem ac mixtionem pervertunt, mo- <sup>tio.</sup> do stimulantis queunt esse efficaciæ, modo relaxantis. Sic quædam cerevisiæ, acrimonia lotio contracta, dy-

furiam, stranguriam, stillicidium urinæ vehementissimis stipatum doloribus excitare observantur. Idem evenit, si bilis, aut aliæ salinæ partes lotio immerfæ hærent, ut videre licet in hominibus crassæ diætæ, ex cibis salitis, caseo, ac vinis austeris desumptæ, adsuëfactis, in hominibus, ictero, ac falsedine corruptorum humorum, cacochymia laborantibus. vid. Carol. Guil. Frider. STRUVII M. D. Disputatio de morbis sexus feminei ex defectu potus oriundis §. XXXVIII. Helmstadt MDCCCL. habitæ.

## §. XX.

*Qualitas u-  
rinæ muta-  
ta.*

Quemadmodum acres stimulantæ particulæ in connubium seri excrementitii admiffæ motum partium nerveo-muscularium nimis intentendo renibus non solum, sed & vicinis partibus, totique œconomiae animali cladem, ac periculum portendunt §. 19. ita urina nimis aquosis ac tenuibus remixta substantiis tonum vasorum renalium imminuit, infringit, debilitat, incommodis haud mediocribus pressio pede subsequen-  
tibus.

## §. XXI.

*Exemplum  
educitur.*

Asparago sativo cum partem resinofam, quæ sese stimulantæ commendat virtute, tum saponaceam substantiam ejusdem effectus indidisse naturam pluribus demonstrat Materia Medica. Partem vero saponaceam salino oleosis partibus admixtam talem odorem spargere, qualem putrescentia, aut ova motum intestinum fermentativum ineuntia emittunt, fidelis nos edocet experientia. Idem contingit, si radix illa, quam  
pluri-

plurimi in deliciis habent, interne adsumitur. Odor urinæ inde nascitur teterrimus §. 12. §. 17. Jam quæ foetent, relaxant, spasmorum sævitiam leniunt, dolorumque emolliunt cruciatum. Ergo asparagus aliam induit naturam, si urinæ admiscetur. Relaxantem enim effectum exerit pars saponacea hujus radicis urinæ materiæ immixta. Idcirco a foetore urinæ ab assumpto asparago minus valet consequentia ad destructionem viarum urinariarum. Neque enim foetor urinæ sibioboles est putrefactionis, sed miscelæ partis saponacæ radicis asparagi cum sero excrementitio inita. Ex hoc etiam commode disci potest, ab indole medicamento aut alimenti medicamentosi, qua tali & absolute considerata, non valere conclusionem ad efficacitatem in corpore humano. Mutantur enim assumpta a liquore gastrico, mutantur in intestinorum cavo, mutantur oceano sanguinis commendata, mutantur ab humoribus, quibus ob gravitatem præprimis adhærere observantur.

## §. XXII.

Hæc §. 21. non possum quin confirmem iis, quæ *Confirmatur testimonio* in Epitome totius Medicinæ supra §. 15. allegata p. III. Therapevt. p. 94. §. XXXII. legimus. *Ex eo autem, (ita nio.* sese habent verba) quod misceantur cum succis in primis viis & stomacho, & ita non leviter subinde alterentur, (de medicamento loquitur) certum videtur, quædam medicamenta in dictis locis demum ex dicta miscela, & alteratione certam vim medicamentosam novam acquirere, quam formaliter antea non habebant. Atque §. XXXI. pergit anony-  
 C 3 mus;

mus; Sicut enim in operibus chymicis ex combinatione quorundam corporum nova subinde fiunt producta ac concreta v. g. terra sigillata, creta, imbibitione spiritus nitri aut sulphuris, texturam, indeque attributa omnino aluminosa potenter adstrictoria acquirunt: ita talia assumpta attacheda succorum fortiter acidorum in stomacho vel intestinis vim adstrictoriam longe potentioram, quam in se antea habebant necessario acquirunt. Sic salia alcalina aut contra assumpta acida subinde alterari, & alterata vim aliam acquirere, quam ex se non habebant, ex dictis evidentissimum est. Hanc vero miscelam, de qua sermo est, ab illa urinæ probe discernas velim, cui pus, sanguis, & sabulosæ indolis substantiæ admixtæ sunt, ut in mictu cruento, exulcerationibus renum, ac calculosis adfectibus contingere solet. Nec minori negotio ab illa urina satis distincte luculenterque distinguitur, quam fluxu diabetico correpti larga admodum copia reddere solent.

## §. XXIII.

*Illustratio a lacte.*

Quæ de mutatione mixtionis urinæ ex diureticorum specificorum habitu ac mutua relatione concipienda hætenus proposuimus §. 9. II. ad §. 22. haud obscuris, nec a cognitione hominum adeo remotis illustrari possunt phænomenis lactis. Sicut enim ceteri humores assumptorum indolem assumunt: ita & lac, quotidiana comprobante experientia, modo acidum spirat, modo bilis inficitur confinio, modo admixtione aliarum particularum tum ex adsumtis, tum medicamentis familiam trahentium læditur. Hæc animo complectens in memoriam revoco, quæ *Joannes Baptista*

*sta*

sta van HELMONT. *Ort. Med. Amsterdami M DC LII p. 623.* nobiscum communicat. Denique non sat est, inquit, morbos materiales lactis, occultas labe morborum, radicesque hereditarias per lac in sugentem transplantari, & pertinacissime in vitam incorporari; verum etiam vitiorum quorumcunque sementa moralia cum lacte intro penetrant. Observavi sic nutricem salacem, furtivam avaram, iracundamque suam fragilitatem transtulisse in pueros. Sic insolita in familias stupiditas, ira, dementia, multa que animi pathemata (etiam præter defectus morales) dudum somniantia, ac tandem dierum sub maturitate explicata prodeunt a nutricibus explicata, & per lac propagata. Tum demum lac in nutrice adhuc obnoxium est, ut cadaverescat, si nutrix clanculum imprægnata est, participat de febribus, & malis, quæ nata sunt, lac quomodolibet inficere. Tandem in horas lac varias impressiones subit ex omnibus animi perturbationibus, unde nedum grumescit, putretque, sed & non sensili qualitate induit indiformitates, quas infans bibit, atque piare tenetur. Non enim nutrix uno semper tenore animum frenat: mille sed adprehensionibus iræ, tristitiæ, agonis, invidiæ, lasciviæ, furti, avaritiæ perculsa succumbit, quarum singulæ (est indubium) lac male disponunt tam quoad corpus, quam animam.

## §. XXIV.

Hæcenus de medicamentis diureticis specificis <sup>2do Renibus</sup>  
 Lotii §. II. ad §. 23. Nunc pauca quædam de iis me- <sup>Transitio.</sup>  
 dicamentis dicamus, quæ renes ipsos, in quibus se-  
 cretio

cretio urinæ secundum leges convenientiæ contingit, specificè adficiant, inque iis effectus producant peculiare, reliquis partibus, per quorum cava transeunt, fartis, tectisque manentibus.

## §. XXV.

*Adfectiones  
pharmacorum  
renes  
adficien-  
tium,*

Hæc vero pharmaca §. 24. ejusdem fere massæ ac gravitatis specificæ esse debent, qua renum gaudet substantia, nec aliis partibus adjunctæ accurate adhærere, aut si adhærere, facile ex earum complexibus secedere. Per vasa lactea autem dum ad sanguinis deveniunt oceanum, satis exigua existant necesse est medicamenta §. 12.

## §. XXVI.

*A posteriori  
cognoscun-  
tur,*

Quum vero gravitas specificæ renum, & corporum adsumendorum habitus ac mutua relatio ad renum substantiam a priori justè, aut accurate determinari nequeat, facile emergit, autopsiam aut experientiam, optimam rerum magistrum nobis consulendam esse, medicamenta diuretica specificæ renum recensituris.

## §. XXVII.

*Quædam in  
medium  
proferun-  
tur.*

Hac §. 26. vero edocti scimus, millepedes sive asellos, cantharides, haud exiguam insectorum copiam, liquores animalium brutorum acidos, cicadæ, fuci, bufonis &c. ad hanc remediorum classem pertinere.

## §. XXVIII.

*I. Millepe-  
des.*

Millepedes §. 27. quorum habitum exteriorem nos docet materia medica, partem resinofam, gelatinofam, ac subtiliorem stimulantem substantiam vel le-  
ni



ni ignis gradu volatilem in se continent. Hæc maxi-  
 me subtilis ac libero aeris accessu facile in auram avo-  
 lans substantia viscera abdominalia præprimis actione  
 sua ferit, atque percellit. Quæ, si minus in exsicca-  
 tione millepedum abierit, facit, ut millepedes diureti-  
 cis annuarentur, atque lithontripticis. Ad usum au- *Usus.*  
 tem eorum quod attinet, aut in substantia, aut præ-  
 parati adhiberi solent. In substantia vel recentes, vel  
 exsiccati usurpantur. Recentes propinati millepedes  
 ob præsentiam partis stimulantis volatilis majori vi  
 atque efficacia pollent, quam exsiccati. Exsiccati in *Forma.*  
 forma pulveris plerumque porriguntur. Partem ve-  
 ro gelatinosam, quæ asellis inest, quæque exsiccatio-  
 nem præpedit, ut decet, separaturi, vinum eligere so-  
 lent Pharmacopœi, in quo si lavantur, pars gelatinosa  
 e complexu reliquarum partium secedit. Millepedes  
 vino abluti, leni adhibito ignis gradu siccati præparati  
 dicuntur. Horum effectum determinaturus ad gra-  
 dum ignis respiciat oportet. Qui si lenis est, majori  
 vi agunt stimulando, resolvendo, discutiendo. His  
 si mercurius dulcis æquali quantitate admiscetur, me-  
 dicamentum habes in obstructionibus, dyscrasia hu-  
 morum, serique impuritatibus præstantissimum. In-  
 ter præparata millepedum primarium obtinent locum *Præparata.*  
 conserva, oleum asellorum per infusionem confectum  
 & syrupus. Conserva, quam millepedes minus sic-  
 cati ingrediuntur, potenter urinam movet, oleum, si  
 per infusionem paratur, minori vi actionis pollet. Sy-  
 rupus partem gelatinosam potissimum sibi intertex-  
 tam gerit. Hinc ejus patescit virtus.

D

§. XXIX.

## §. XXIX.

II. *Cantharides.*

Cantharides si examinis subeunt trutinam, principiis constitutivis ex Materia Medica desumptis, breviter innuimus, cantharides, parte resinosa, saponacea fixiori, & volatiliori ac gelatinosa, natura esse dotatos. In resinæ acri stimulante substantia & vis diuretica specifica, & vesicatoria urens residet. Tanta sæpe vi in tubulos Bellini urinarios agit illa pars, ut exulcerationes renum, mictus cruentus, aliaque incommoda illius usum sequantur. Id omnes testantur morborum historiae. Id practicum produnt consignatæ observationes. Id quotidiana confirmat experientia, vid. B. Timæi von Guldensee *Epistolæ & consilia cas. Medicin. lib. VII. cas. XX. p. 324. 325.*

## §. XXX.

III. *Bufo.*  
1265.

Bufonibus §. 27. substantia acris valde stimulans indita est, quæ si leni ignis subjicitur gradui, in auram avolat, facitque si sarta, tectaque manet, ut & externe adhibiti bufones rubefacientem, causticum, effectum edant, & interne adhibiti in forma pulveris fortiter urinam eliciant, papillis patulis majori vehementia urinam susceptam in pelvim, expansionem ureterum intra renes, demittentibus. Quum vero acres partes majori vi polleant, si aut solutæ agunt, aut in humoribus nostri corporis dissolvuntur, pulverem bufonum rite præparatorum tragicos edere posse effectus patet. Id quod experientia calculo suo comprobat,  
utpote

utpote quæ docet, motus convulsivos spasmorum-  
que vehementissimos subsultus usum hujus pulve-  
ris fuisse insecutos.

## §. XXXI.

Cera, melle, quod apes, bestiola illa sapientissima, <sup>IV. Apes.</sup>  
mortalibus præbent, missis, liquorem acrem, qui in  
apicibus aculeorum, quibus præditæ sunt apes, depre-  
henditur, examini subicitur. Quodsi usu venit, ut  
apes, fucique, aculeis suis corporis nostri partibus in-  
fixis, pungant, lacerent, lædant: tumor, dolor, calor,  
rubor, presso pede oriuntur. His vero momentis ab-  
solvitur inflammatio. Ergo punctura fucorum in-  
flammationem excitare potest. Ille vero liquor, qui  
partibus, quibus aculeos, apicesque intrudunt, immit-  
titur, talem effectum rubefacientem, corrosivum pro-  
ducere valet. Idem contingit in urticis, quibus inter-  
dum sanitatis restituendæ causa cæduntur homines.  
In eminentiis enim asperis, quibus superficies urtica-  
rum inæqualis, hirsutaque redditur, acidæ indolis de-  
litescit humor, qui, si vi atque agitatione corporis  
poris, & exteriori corporis cortici infigitur, rubefa-  
cientis instar ruborem, dolorem, tumoresque inflam-  
matorios inducere observatur. Hac de re pluribus  
egit SLEVOGTIVS in *Disput. de urticis*. Eædem vero  
apes ob eandem partem diuretica efficacitate sese com-  
mendant. Hac namque separata perit illud effectum,  
quod alioquin ex apibus contusis interne adsumtis eli-  
citur.

D 2

§. XXXII.

## §. XXXII.

*Quid nam  
circa usum  
diuretico-  
rum sic ob-  
servandum.*

Quanquam autem ea, quæ recensui medicamina §. 24. ad §. 31. ob massæ, ac gravitatis specificæ convenientiam præprimis in renum tubulosa, aut vasculosa substantia operationes suas edunt: tutius tamen viscera abdominalia stimulantia, aut quæ urinæ præbent pabulum §. 7. ad §. 9. his præferenda esse videntur. Si enim ab asellis aut millepedibus discedimus, qui aliis ingredientibus remixtum haud contemnendum medicamentum præbent diureticum, cantharides, aliaque hujus generis lethales sæpius producunt effectus. Quum itaque multitudo potius quam penuria pharmacorum præscribentes formulas dubios reddat atque ancipites, nullum medicamentum prius præscribendum est, quam causa morbi diureseos negotium perturbantis fuerit detecta. Qua quidem cognita, cognitu autem facilis est, tot medicamentorum diureticorum species animo tuo offeruntur, quot diversæ causæ diuresin aut imminuerunt, aut perturbant, aut sufflaminarunt.

## §. XXXIII.

*Transitio ad  
effectus diu-  
reticorum.*

Posteaquam ea, quæ ad modum operandi diureticorum pertinent, breviter exposuimus §. 1. ad §. 32, restat, ut ordini in præfatione nobis imposto obtemperaturi de effectibus eorum nonnulla subnectamus. Illi vero facile erui possunt, modo supra jacta principia tenaciter sequamur. Supposita enim via operan-  
di

di diureticorum, in promptu sane est determinare, ubi, quando, quomodo, sint adhibenda, quænam com-  
moda ex eorum usu provido expectanda, quænam in-  
commoda pertimescenda, si a circumforaneis atque  
agyrtis sine selectu, sine opportunitate, sine ordine, in  
usum vocantur.

## §. XXXIV.

Quum medicamenta diuretica nobis palam fiant, *Conducunt*  
quæ circulationis negotium augendo urinam eliciant *in scabie &*  
§. 7. & 8. facere efficitur, medicamenta hujus generis *morbis lym-*  
in scabie sicca æque ac humida, aliisque morbis cuta- *phaticis.*  
neis præstantissimam promittere opem. Illi enim  
morbi ex abundantia humorum & minori circula-  
tione eorundem originem, ortumque suum trahen-  
tes per Princip. Pathol. & attenuationem & resolu-  
tionem & imminutionem sui indicant per Princ.  
Therap. Utramque indicationis partem explent diu-  
retica, hinc in impuritatibus lymphæ, cacochymia se-  
rosa pituitosa, ac morbis intemperiei frigidæ utilitates  
nobis pollicentur minime negligendas. Eandem ob  
causam scorbuto, malo ischiadico, gonagræ, arthritidi,  
podagræ, conducibilia existimantur diuretica.

## §. XXXV.

Diuretica existunt, quæ humores ad renes diri- *Diuretica*  
gendo agunt §. 7. §. 9. Jam renes, ut ex anatomia *sunt appro-*  
patet, cum utero, cum vasis spermaticis mira admo- *dificata &*  
dum conspiratione & nervorum & vasorum vicinita- *emmenago-*  
*ga.*

D 3

te

te junguntur. Hinc diuretica aphrodisiaca, uterina emmenagoga, evadere possunt. Hoc nomine inter hysterica antihypochondriaca splenetica sedem sibi parant diuretica.

## §. XXXVI.

Noxiam as-  
ferunt fe-  
bribus in-  
flammati-  
onis inter-  
nis.

Si urina elicitur a peripheria ad centrum, diriguntur motus, ab exteriori cutis habitu ad interiora. Quapropter congestiones, si quæ sunt, internæ majus accipiunt incrementum. Jam principium omnium inflammationum internas partes occupantium a congestione sanguinis derivandum est. En rationem, quæ impedit, quo minus diuretica in febribus malignis inflammatoriis tuto uturpari possint.

## §. XXXVII.

Diuretica  
sunt lithon-  
triptica.

Diuretica vias urinarias abstergendo & viscidam, lentam, tenacem materiam, quæ calculo generando velificatur, attenuando, præpediunt, quo minus sævissimus ille hostis, calculorum cruciatus, insidias mortalibus tendere possit. Quam quidem ob causam diuretica lithontripticis adnumeranda esse videntur, vid. B. SCHULTZII *Diss. an dentur Medicamenta, quæ calculum in vesica comminuant.* Huc etiam pertinet pulvis ille decantatissimus lithontripticus *Jobannæ STEPHENS* ex testis ovorum ustis paratus.

## §. XXXIII.

## §. XXXVIII.

Diuretica paulo fortiora ob consensum renum cum *Diuretica*  
 vasis uterinis facile secesum placentae uterinae efficere *facile abor-*  
 possunt §. 35. Hinc gravidæ a diureticis abstineant, *tum produ-*  
 oportet. vid. *Joh. Christoph. LISCHWIZII Disp. Med.* *sunt.*  
*de blandis diureticis. Kilani 1730. habita.* Plura hac de  
 re adjicere possem & adjicerem nisi, quod paro *ster,*  
 me avocaret. Filum igitur abrumpens, quod animo  
 molior, itineri cogitationes meas defigo. Coronide  
 igitur huic Disputationi imposita pro concessis viribus  
 supremo numini immensas persolvimus  
 gratias.

FINIS.



DA UNIVERSITÄT DRESDEN

Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through.

1712

